

aureae, quae vocatur, aetatis scriptores invenitur, posterioribus in primis Livio et Tacito adamatum fuisse scimus. (cfr. Draeg. Synt. u. Stil d. Tac. p. 7).

Ad numeralia denique quod attinet, nil aliud habeo quod dicam nisi illud, Propertium quinque locis, e quibus unum (IV, 22, 16) Draegerus (I, p. 107) attulit, pro numero cardinali numerum distributivum usurpasse. cfr. II, 1, 22; III, 8, 23; IV, 22, 16; V, 8, 80; V, 10, 26.¹⁾

Huic usui, quem Catullus sprevit, Tibullus (cfr. Streifinger p. 23) bis praebet, Vergilius autem et Ovidius nimis amaverunt, poetae, e quorum carminibus haec consuetudo etiam in litteras argenteae, quae appellatur, aetatis se insinuavit (cfr. Draeg. I. p. 108), fortasse metri causa faverunt.²⁾

De pronominum usu.

Cum Propertius usurpatione pronominum ab aliis poetis minime discrepet, ea, quae de pronominibus mihi dicenda sunt, paucis absolvere possum.

Propertium, sive ut personas significantius proferat, sive ut versum facilius fingat, verbis saepe nominativos pronominum personalium addere (Kuttner „de Prop. elocut. quaest. p. 47), exemplis allatis demonstrare superfluum iudico, praesertim cum haec consuetudo fere omnibus communis sit.

Deinde anno annoto saepe pronomen demonstrativum „ille“ vel „hic“ insertum esse, quamquam subiectum superioris vel antecedentis membra sententiae in altero facile intellegitur velut: I, 9, 24; 15, 9 sq; III, 23, 11 sq; V, 2, 45 (cfr. Kuehner lat. Gr. II, § 118, 10; Draeg. hist. Synt. I. p. 83).

Bis a Propertio pronomina „hic“ et „ille“ ita commutantur, ut „hic“ ad personam remotiorem — ut ita dicam — „ille“ ad personam propiorem referatur. Cfr. II, 1, 37 sq: „Theseus infernis, superis testatur Achilles, Hic Ixionidem „ille“ Menoetiaden“;

IV, 13, 17 sq. „Qualis et Eurotae Pollux et Castor harenis, hic victor pugnis, ille futurus equis.“

Eadem pronominum „hic“ et „ille“ commutatio est apud Catullum 100, 1 sqq.

¹⁾ „iugera terra“ Scaligeri conjectura, quae quin recta sit, nemo dubitat.

²⁾ Cfr. Verg. A. 5, 85 „septem ingens gyros, septena volumina traxit“.